

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gustav Christian Handwig von

**Programma Qvo, Viri Dvm Viueret ... Domini Christophori Mart. Bvrchardi, Med.
Doctoris ... Die XXIII. Febr. Terræ, Nostræ Omnivm Matri, Christiano Ex More
Mandati, Memoriam, Illvstribvs Academiæ Proceribvs ... Commendat**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1742?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789985269>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Probstker Prætorianum-Programmen, meist
Festabfälle in Probstker Bürgerschaften Familien betra.
Großen Hrbd und dem ersten Jafazündet.
Ortsbüroff gewandt.

Litr. A - K.

Im Juni 1859 unter dem Vorwurf des Gez. Hofwurff Piser
zu Güstrow verworben.

(Zurück auf die Familien v. Klein, v. Krakevitz u. Or.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3 I-4°



Ran.
W33.

- F. A. Aepinus, +1757.
A. Ahrend, +1730.
Anna Kohl, n. Amel. +1709.
Cath. Amel, vid. Heinrich +1725.
Magd. Anna ux. O. P. Möller +1733.
J. H. Balese, +1778.
J. H. Becker, +1774.
P. Becker, +1753.
J. J. Bentzen, +1725.
Cath. Marg. Beselin, vid. Jac. Burgmann +1734.
Just. Reg. Beselin et Ann. El. Stever, vid.
Ch. M. Stever. Rost. +1742.
V. J. Beselin, +1755.
Cath. Blocksdorff vid. Wic. Pfiffer, Ann. Sopf. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwig +
+1715.
Cath. Burchard, n. Bourquand, +1740.
Ch. M. Burchardt +1742.
Jac. Burgmann, +1724.
J. H. Burgmann, +1748.
J. P. Burgmann, +1775.
J. Carmon, +1743.
J. H. Garbers, +1731.
J. F. Celle, +1729.
P. Ciese, +1746.
Ann. Cath. Coch +1726.
G. Crause, +1723.
Ch. Crull, +1748.
J. F. Crull, +1757.
J. A. Curtius, +1740.
J. Ch. Danckwartz, +1755.
Anna Decker, conj. Niemann, +1739.
G. Detharding, +1747.
Gert. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.
Agn. Doercks, conj. F. A. Aepini, +1736.
Ch. Doercks, nunn. Nettelbladt, +1753.
Marg. Doercks, nunn. Ließ, +1755.
J. A. Diwe, +1728.
+1743.
Balth. Joh. Eggerdes, +1718.
Math. Hinr. Eggerdes, +1722.
J. L. Engel, +1758.
H. A. Engelcken, +1734.
H. Ch. Engelcken, +1742.
J. F. Eyllers, +1749.
Chr. El. Fuerspi, vid Ch. R. Holten, +1734.
Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrand, +1742.
Hel. de Klein, nat. Gerdien, +1720.
P. Gerling, +1778.
H. Goltermann, +1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.
Alb. Gleins, + 1733.
Math. Ber. Hering, + 1750.
G. Herrepaus, + 1745.
Cath. Mar. Eyller, geb. Küllen, + 1754.
Ann. Soph. Holsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.
El. Koppe, nimm. Crull. + 1766.
Ann. Hedw. Korn, conj. V. J. Beselin, + 1730.
El. J. Görck, + 1728.
Joh. Joach. Görck, + 1729.
P. Chr. Kämpfer, + 1755.
Joh. de Klein, + 1732.
Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Beselin,
+ 1726.
Urn. Marg. Knefbeck, conj. H. Goldmann,
mann. + 1738.
A. S. Knefbeck, nimm. Koppen, + 1747.
D. H. Koepcken, + 1731.
G. W. Koepcken, + 1732.
F. C. Rohl, + 1738.
Anna Rorsholt, vid. J. Lindemann,
+ 1743.
A. J. v. Krackevitz, + 1732.
J. Krauel, + 1750.

18.

PROGRAMMA
QVO,
V I R I
DVM VIUERET,
EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
AMPLISSIMIQVE, DOMINI,
D O M I N I
CHRISTOPHORI
MART. BVRCHARDI,
MED. DOCTORIS HVIVSQVE PROFESSO-
RIS SENATORII CELEBERRIMI, FACVLTATIS SVAE
SENIORIS ADMODVM VENERANDI, VT ET
CIVITATIS HVIVS PHYSICI AC POLIATRI
FAMIGERATISSIMI,
DIE XXIII. FEBR. TERRÆ, NOSTRÆ OMNIVM MATRI,
CHRISTIANO EX MORE MANDATI,
MEMORIAM,
ILLVSTRBVS ACADEMIÆ
PROCERIBVS
AC
CIVIBVS O. O. HONORATISSIMIS,
SVO, SVÆQVE FACVLTATIS NOMINE
OFFICIOSISSIME COMMENDAT
GVSTAV. CHRISTIAN. Sandtwig,
MED. DOCT. ET PROFESS. DVCAL. PVBL. ORD.
FACVLTATIS MEDICÆ h. DECANVS.

R O S T O C H II,

Typis IOANNIS IACOBI ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typographi.

16



MARTINUS BURCHARDUS



* * * *

ente certe perterrita, calamoque prorsus titubante,
funebre hocce memet exarasse Programma, nemo non
persentit: nec id mirum: alterum proh dolor! cum sit,
quod sub ipsis anni huius auspiciis, Facultatis integrae, ob
Membrum dignissimum, morte admodum subitanea ac
inopinata ereptum, exponere debeat querelas. Non ita enim pri-
dem, implacabilis illa mortis crudelitas, Amplissimum Theologorum tetigit
Ordinem, eique haud leue infixit vulnus, dum illum Seniore suo, Theo-
logo consumatissimo orbatum reliquit.

Nunc & nos persequitur, communis ille vitae humanae hostis,
tetrisque inuidiae dentibus felicem Facultatis nostrae faciem nonsolum
arrodit, sed illam eheu! infregit plane. Sustulit nimurum veneno suo
inexpiabili, Virum, dum inter nos viueret, Excellentiss. Experientiss.
CHRISTOPHORUM MARTINUM BURCHARDUM, Med. Dr. huius-
que Professor. Senatorium celeberrimum, Collegii Medici Seniorem Grauissi-
mum, Collegam nostrum per dilectum, & ita Academiae nostrae nobisque, haud
parum splendoris ac ornamenti detrxxit. Mors quidem indiuulsus est
vitae comes! nec illi quondam populi, qui cunas infantum recens na-
torum lacrymis conspersere, feretra vero atque urnas demortuorum
laetis adspergere oculis, reprobationis notam meruisse videntur. Ast,
id tantummodo dolendum, & nunquam non satis deplorandum exi-
stimo, quod, Viris scientiarum qrofunditate conspicuis eruditioneque

solida literatorum in orbe optime promeritis, haud longior ab omnisciō illo naturarum statore reliquis hominibus, iisque & societati hominum in genere & literaturae in primis non ita proficuis datus concessusque sit vitae termimus, sed, quod commune illud fatum omnes atque singulos aequali quadam morti adiudicauerit tradiderit que lege, quam, si mortalibus modo ardentissimis restringere licet precibus, certe & noster Senior haud ita mature nobis fuisse eretus, sed nosmet potius & hodie dulci eius frueremur commercio. Genio etenim, vti pie defunctus natus nequequam erat sinistro, sic semet omni tempore ac occasione, maximis, ad literaturam pertinentibus, cum laude immissuit rebus, sibique haud infimas *Illustrium Germaniae Doctorum* comparauit notas. Celebre sane nomen suum non solum heic, in vicinia, & in patria sua reddidit dulcissima, sed ipsius fama admodum dissitas etiam per uolauit oras. Veram semper a solidam scientiarum bonarumque artium cognitionem, haud fucata pietate maritamat, tanquam omnium virtutum Reginam atque Principem, impense satis & ita sane coluit, vt hac in revix parem, superiorem certe habuerit neminem; Hinc & eius asserta apud omnigenae indolis homines, magnam veritatis habuere vim, tanquam, viri veritatis amantissimi inque ea omnibus exhibenda promptissimi semper. Promtus certe quam qui promtissimus, tam quoad officia, quae Ipsum condecorarunt, publica, quam ad priuata, seu ea, quae ex reciproca amicitiae lege fluunt, fuit repertus: vnde illis non solum, qui insolitis saepenumero morborum exacerbationibus grauabantur, vel alio quodam premebantur malo, fidus adstitit, felicique eos adiuuit successu, sed & aliis, quounque modo vexatis, se amicum exhibuit, miseriisque oppressos semper, & quantum vnquam respectu familiae sue nobilissimae, nunc luctuosissimae, fieri potuit, leuauit, & laudes inde virtutibus suis condignas, quod ipsa ipsi, liberalitatis nimirum, nullo reclamante, innata sint praecordia, reportauit. Obtinuerat etiam de cetero a propensissima natura, tantas tamque egregias corporis dotes, quales quis, ad tutandam sanitatem, longae uitatemque optimabilem efficiendam, haud meliores desiderare, sibique ab omnipotente naturae moderatore expetere unquam potuisset. Hinc & animum ad id, quod attamen breui post, tot inter lacrymas suspiriaque pia, praeter omnem euenit spem, inducere nequiuimus, quin nos petius certo habuimus persuasos, fore, vt per plures adhuc annos in Academiae florem, Facultatis nostrae splendorem, certumque morborum iniuria oppressorum superstes esset solamen. Nec nosmet fellisset rei tam desideratae euentus, summusque coelorum *Moderator*, Ipsum forte in statu tali, quoad mentem & corpus valde placibili conservasset clementissime, ad Nestoriosque perduxisset annos, fortuna modo eius optatis, & vterius obsecundare, nec dura crudelisque, vt infra patebit, esse coepisset.

Ne autem splendida illa huius *Viri* merita, ipsius nunc & obmutescant cum morte, Virtutumque partarum deflorescat candor, facta pariter ac fata, ex vitae curriculo, tanquam viua veracique Eius imagine latius erunt explicanda. Deueniendum nobis itaque omnium primo est, ad *Viri*, dum viueret *Amplissi*, *Originem*, exponendumque

de ea breuibus, quae in eiusmodi funerum inductionibus commemo-
rari recenserique solent. Lucem enim aspexit Kilonii, Anno R. S.
supra millesimum sexcentesimum, octogesimo, posthumus. Patrem for-
titus est, Virum admodum reuerendum *Dn. MATTH. BVRCHARDO*
Pastorem ad D. Nicolai primarium, & Scholarcham Kiloniensem gra-
uissimum. Matrem amplexus est, ANNAM CATHAR. MARCHIAM,
Matronam omnibus sexus sui ornamentis decoratam.

Auum paternum habuit, *M. ANTON. BVRCHARD.* primum
Gymnasii Stetinensis Professorem, posthac Ecclesiae Marianae Lube-
censis Diaconum, ac tandem Pastorem Kilonensem vigilantissimum.
Auiam habuit VRSVL. MALZEN, ANDR. MALZEN, Ciuis & mercatoris
Kilionensis filiam lectissimam, per quem Proauia ipsi contigit, SOPHIA
CARNARIA, D. MATTH. CARNARII, Archiatri Gotorpiensis soror u-
nica. Proauus ipsius fuit ANTON. BVRCHARDOVS, Ciuis Lubecensis
primarius, & Proauia, MARGAR. SCHRÖDERIA, ex Hassis oriunda.

In linea autem materna Auum salutavit *Dn. CASPAR. MARCHI-*
VM, primum in Academia Grypwaldensi, Mathematum, hinc Me-
dicinae & Mathematum in Academia Rostochiensi, postea autem & in
Vniuersitate Kilonensi, Medicinae Professorem primarium, ac SERE-
NISSIMI PRINCIPIS, tandemque POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDEBVR-
GICI, Archiatrum longe celeberrimum.

Auiam maternam natus est *CATHAR. SCHMIDIAM, IACOBI*
SCMIDI, Pharmacopoei Grypwaldensis filiam, hinc & proauiam ve-
neratus est MARGARETHAM LOCKERWITZEN.

Proauum maternum sortitus est *CASP. MARCHIVM, Pastorem*
ac Praepositum Penkumensem, in Pomerania, meritissimum. Proauia-
am autem ANNAM KRÜGERS, Unde iam liquet, beatum nostrum Seni-
orem, ex Stemmate satis splendido perfulridoque ortum traxisse, ac
merito fumosis, vt aiunt, gloriari potuisse imaginibus. Quo autem
insignis cura atque sollicitudo optimorum insimul parentum, quam in
instituendo filio lubentes suscepereunt, appareat, sequentia adhuc e-
narranda erunt.

Posteaquam pie defunctus, felici, vt diximus partu, in
lucem fuit editus, optimi hi parentes, sacro baptimate Illum mox a-
blui Deoque redi, curarunt, quem in finem susceptores sacro hocce
ex fonte, elegerunt, *Dn. CHRISTOPH. FRANCKIVM, S. S. Theol. D. &*
Profess. celeberrimum. Dn. MARCH. BüTZER, Coenobii Pestorem me-
ritissimum, vt & MAR. BETZOLTEN, foeminam omni virtutum nitore
decoratam. Nec posthac quicquam omisere, quod ad formandum
vnquam, beate defuncti a teneris animum, pertinere: hinc omnium
primo domi, studiorum rudimentis DEique notitia vt imbueretur o-
mnen impenderunt operam; In crescentibus autem annis, Scholas
publicas & Kiloniensem in primis Illum frequentare fecerunt, in qua
MART. BVTZERI affinis sui dilectissimi, (cuius hospitio insimul fuit v-
sus) speciali curae atque formationi traditus, vltiores studiorum suo-
rum fecit progressus. Adolescente autem paullulum nostro BVRCHAR-
DO, Annoque circiter duodecimo tacto, commisere Ipsum vltius e-
ducendum instituendumque pii parentes, MART. HENRICO BVR-
CHAR.

CHARDO, Praeposito Heilighafiensi famigeratissimo, & ob officia, quibus tunc temporis defungebatur, scholaistica, admodum paeclaro, cuius ex fida dextraque manuductione, in humanioribus ac elegantioribus literis eo etiam processit, vt omnium, aetate adhuc tenera, merito in se traxerit attentionem. Heic ita ad illud usque tempus remansit, quo, ex industria Praeceptoris sui, bene admodum praeparatus, Kilonensem adire Academiam, ibique, nomine ciuitati Academicae dato, vberrimos, virorum in arte sua famigeratissimorum ex praceptoris, haurire & potuit & voluit fructus. Imprimis autem Excellentiss. Ille, & ob merita in rem Medicam admodum insignia, nemini non incognitus SCHELHAMERVS, peculiari Illum complexus est amore, ac, absolutis antea feliciter sub eius moderamine omnibus medicae artis disciplinis, ex Academia Kilonensi ad Saxonicas & Belgicas visitandas suum BVRCHARDVM transmisit, hinc magni Illum etiam Amstelodami, notus ille ac eruditio orbi admodum cognitus FRID. RUY-SCHIVS habuit, ita, vt semet illi, singulari plane humanitate atque candore, fidissimum praebuerit ducem; Vbi cum thesaurum suum nouis auxisset accessionibus, Dania tandem atque Suecia aliisque regionibus non sine fructu insigni peragratis, ad patrios lares est reuersus, & sub Illustr. SCHELHAMERI, moderamine ita suum collocauit tempus, vt & patriae dulcissimae, & eruditio orbi haud parum spei inde affulserit.

Breui etenim post redditum, Anno quidem R. S. supra millesimum septingentesimum quarto, sub Nobiliſ. huius *Viri* vmbone in auguralem suam pro *Licentia* habuit disputationem. Anno autem millesimo septingentesimo octauo, editis iam in publicum quam plurimis, eruditionis suae solidissimae speciminibus, dignus est habitus, cui in Academia patria Professio, Med. Extraord. conferretur, quam mox anno sequenti millesimo septingentesimo decimo sexto, cum publico ac ordinario docendi munere, quod Ipsi ab Ampliſ. ac Prudentiſ. huius *Vrbis* Senatu, Compatrono Academiae munificentissimo oblatum fuit, commutandi occasionem & habuit & arripuit. Titulo autem tunc temporis *Doctorali* noster pie defunctus adhuc destitutus, die xii. Iulii d. a. Academiam Kilonensem repetiit, indeque, obtentis ibi summis in arte medica honoribus, se absque mora recepit, & in Alma nostra celeberrima, per acta receptione solita, *Doctor noster* factus est.

Gratulati ei sunt nouos honores, GVSTAV. CHRISTOPH. HOFFMANNVS, S. S. Theol. Dr. Consil. Eccles. & supremi Consistorii: itemque Concionat. Aul. S. S. Theol. Profess. ord. vt & CHRISTIANVS STEPHANVS SCHEFFEL, Med. Dr. & in Academia Gryphiswaldensi Prof. ord. Reg. & ita per aliquod tempus in celebri hac warniaca, publici doctoris munere est defunctus.

Facta autem, praematura conjugis dulcissimae morte pertristi, in domesticis mutatione, semet officiis, quibus haetenus cum laude praefuerat, sponte abdicans, Holſatiam rursus contulit, ibique, ad Eiderstadensem Physicatum admotus, domicilia fixit, & nuptias, ita efflagitante re domestica, celebrauit secundas.

Breui attamen post, & delinito aliquatenus dolore, redux iterum factus, & muneribus denuo alacriter susceptis, se intra moenia

Rostochiensia conclidi passus est, vitamque omnibus, & inimicis ipsis, probatam atque laudabilem ad ultimum usque halitum vixit. Ad umbrato idcirco breuibus, vitae eius curriculo, omnibus etiam quo constet, quam indefessus noster senex in subeundis laboribus academicis quamque felix in illis fuerit superandis, iam eos quatenus nobis innotuere, consignabimus.

CATALOGVS SCRIPTORVM.

CLASSIS I.

Disputationes continet minus solennes, quae abs nostro pie defuncto, sub Illustr. GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMERI Praefidio Kilonii sunt ventilatae.

- Anno. 1700. die 30. Iul. *Theses selectiores de Medicina in genere.* 1 $\frac{1}{2}$. pl.
- - 1701. d. 30. April. *de Motu animalium vero.* 1 $\frac{1}{2}$. pl.
- - 1702. Mens. April. *Theses selectiores de Cordis & Puimonum officio ac Vju.* 2. pl.
- - 1703. Mens. Ianuar. *de Resolutione corporum per ignem.* 3. pl.

CLASSIS II.

Disputationes minus solemnēs, Praeside ipso nostro B. & Kilonii & Rostochii habitas, consignat.

- Anno. 1709. Mens. decembr. *de Secretione humorum & bilis in primis,* Kilonii, 5 $\frac{1}{2}$. pl.
- - 1710. Mens. decembr. *de Natura & vsu bilis, Kilonii.* 3 $\frac{1}{2}$. pl. Resp. IOH. OTTON. KOES.
- - 1713. Mens. Ianuar. *de Principio mouente in animatis, & in specie de anima plantarum, Rostochii,* 2 $\frac{1}{2}$. pl. Resp. IOHANN. SAMVEL. GRARIO.
- Eodem. d. 20. Nouembr. *de Principio mouente in animatis, & inspecie de Anima brutorum, Rostoch.* 4. pl. Resp. HENRIC. IOH. PETR. WEIDNER.
- - 1722. d. 20. Iun. *de Natura, & inspecie humana, Rostoch.* 4. pl. Resp. CAROL. ZACHAR. IVLIO.
- - 1724. d. 19. Febr. *de Principio mouente in animatis, & inspecie, de anima brutorum,* 4 $\frac{1}{2}$. pl. Resp. LVDOLPH. DA VID. WEHENERO.

CLASSIS III.

Disputationes s̄istit inaugurales, sub Eius Praefidio Rostochii ventilatas, addita sua ipsius Kilonii habita.

- Anno. 1704. d. 2. Maii. *de Morbis magicis, quam Ipsem Kilonii, summos in arte medica honores capessendi gratia, sub Illustr. SCHELHAMERI Praefid. eruditio orbi proposuit,* 5 $\frac{1}{2}$. pl.
- - 1726. d. 3. Septembr. *de Partu difficulti.* Resp. PETRO PLATINO, Schmolando Sueco.
- Eod. *de Demonstrandi ratione in arte medica, cum Programmate praemiso, de Experientia rationali,* Resp. PETR. CHRISTIANO BVRG-

- BVRGMANNO, coelitibus iam adscripto, & huius loci Praetico, ante hac famigeratissimo, 6 $\frac{1}{2}$. pl.
- Eod. de Medendi ratione, per praesidia diaetetica, cum Programmate, de Scorbuto septentrionali, Resp. IACOB VALENT. MOELLERO, 6 $\frac{1}{2}$. pl.
 - 1727. d. 19. Maii. de Fehribus Mesentericis acutis, cum Programmate, de Haemorrhagitis, mesenterii culpa ingrauescentibus, Resp. IOH. GODOFREDO SONNENKALB, 6. pl.
 - Eod. de Tumoribus Cirrhotis, cum Programmate, de Chirurgiae notitia, Medico necessaria, Resp. IOH. SAMVEL. GRARIO, 5. pl.
 - 1735 d 19. Nouembr. de Hydrope Ascite, Resp. CAROL. THEOD. THESSENDORFFIO, 4. pl.
 - 1735. d. 2. Iun. de Scorbuto, Maris baltici accolis non endemio, Resp. CHRIST. EHRENFRID ESCHENBACHIO, 6. pl.
 - 1736. d. 12. Jul. de Affectibus Paralyticis, Resp. CHRIST. WOLDO-MARO LOHMANNO, 10 $\frac{1}{2}$. pl.
 - 1738. d. 7. Ianuar. de Affectibus quibusdam spasmodicis, frequentius occurrentibus, quam egomet ipse, splendido. Eius sub praesidio ut ultimus, cui Tiaram imposuit doctoralem, examini eruditorum subieci.

CLASSIS IV.

Programmata continet, abs nostro, BVRCHARDO, tanquam Academiae Rectore Magnifico, conscripta.

Inuitatoria:

- Anno. 1720. In Natalem Diem Serenissimi Principis ac Domini Dn. CAROLI LEOPOLDI, d. 26 Nouembr.
- Eod. Quo Natalium Festum Augustae ac Serenissimae Principis ac Dominae Dm. CATHARINÆ IWANOWNÆ indixit die 9. Nouembr.
 - 1726. Einladungs-Schrift, zur öffentlichen Feier, des Hohen Geburts-Festes, der Durchlauchtigsten Fürstin und Frauen, Fr. CATHARINEN IWANOWNEN, Höheiten, höchstseel. Angedenkens, d. 26. Nov. 2. Bogen.

Festivalia.

- Anno. 1732. d. 25. Decembr. ad Festum Saluatoris nostri genethliacum.
- - 1733. die 15. Febr. ad Passionale tempus.
 - - 1736. die 25. Decembr. ad Festum natale Saluatoris nostri.
 - - 1738. d. 25. Decembr. In Memoriam diei natalis IEsu Christi.
 - - 1739. d. 8. Febr. ad Tempus Passionale.
 - Eod. die 29. Martii. in Festum Resurrectionis.

Funebria!

- Anno. 1727. d. 12. Febr. Dn. IOHANN. ZEIDLERI, S. S. Theol. Dr. & ad D. Petri aedem Pastoris longe meritissimi, 3. pl.
- Eod. d. 18. Decembr. MARGARETHÆ AGNESÆ de WEIDENKOPF, Matronae prænobilissimæ admodumque venerandæ, 2. pl.

- 1732. d. 24. Octobr. Dn. GEORGII WILHELMI KOEPCKE-NII, I. U. Dr. fulgidiss. 3. pl.
- Eod. d. 29. Octobr. Dn. IOHANN. IOACHIMI WEIDNERI, S. S. Theol. Dr. & Profess. Celeberrimi, 3 $\frac{1}{2}$. pl.
- 1733. d. 16. Ian. Dn. HANS GOLTERMANNI, Senatoris huius urbis grauissimi. 3. pl.
- Eod. d. 29. Ianuar. MAGDALENÆ ARNDIÆ, Matronae praestantissimæ, 2 $\frac{1}{2}$ pl.
- 1738. d. 21. August. Dn. HENRICI GVSTAVI SCHEFFELII, Sereniss. Ducis Regnantis Camerae & Cancellariae quondam Consiliarii meritissimi. 3 $\frac{1}{2}$. pl.
- Eod. d. 27. Nouembr. MARIAE PAVLSENIÆ, Dn. HENRICI ASKANII ENGELKENII, S. S. Theol. Doct. & Profess. nec non districtus Parchimensis quondam Superintendentis religiae viduae, 6 $\frac{1}{2}$. pl.
- 1739. d. 10. Febr. Dn. WALTHERI STEIN, Senatoris Rostochiensis grauissimi, 4 pl.

Supersunt quidem adhuc quaedam scriptorum & editorum & in editorum, documenta, vt illud exemplo esse potest, quod beate defunctus Anno 1712. Kilonii sub titulo: (*Send-Schreiben, wegen des ohnweit Neu-Münster entsprungenen Gesund-Brunnens, auf Verlangen eines guten Freundes, mit geschwinder Feder entworffen.*) & *Orationes in Actibus solemnibus habitae, id aperte satis commonstrant;* bigam attamen harum, quam nimirum de statu & incrementis studii anatomici, vt & de Medicinae incrementis ac decrementis tunc temporis habuit, quem publicum docendi munus & Kilonii & heic Rostochii solemnni ritu auspicaretur, indicasse, & ea modo in publicum solidissimae eruditionis testimonium retulisse sufficiat, quae nobis ad manus fuere.

Absolutis propterea potioribus momentis, ad Stirpem pie defuncti admodum praeclaram, publicaque eius negotia, facientibus, nunc & ad ea, quae ex domesticis & rem potissimum familias spectantibus, enarranda perpendendaque restant, progrediamur, necesse est. Supra iam retulimus, *Excellentiss. SCHELHAMERVM, nostrum BVRCHARDVM*, peculiari quodam amplexum fuisse amore, illumine vicissim amorem atque operam Praeceptoris sui, in se collatam, in animo obliterari haud vnuquam permisisse: hinc breui contigit, vt beatus noster Senior, nactus Professionem Medicam, consilioque in animo, de iungenda sibi socia, suscepto, semet & filiali vinculo. Praeceptoris suo ad cineres colendo, arctius adstringere deuinctorumque reddere conatus sit. Amores itaque ambiebat *Virginis Nobilissimae admodumque conspicuae, HENRICAЕ MARIAЕ SCHELHAMERIAЕ, Viri Illustris GÜNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMERI, Med. Dr. in Acad. Kilonensi Prof. Primar. Sereniss. Ducis Cimbr. Gottorpensis Archiatri, Societatis N. C. LEOPOLD. Adiunct. & in Italia Recuperatorum Socii, FILIÆ per dilectæ. Quae res DEO adstante, & Nobilissimorum Parentum ex concessione eo felicissime processit, vt dicta SCHELHAMERIA, quae singulare sexus sui decus ac ornatum*

tum erat, amore erga amatorem casto incensa; nostro tunc temporis Professori Kiloniensi Extraordinario, circa finem Anni 1715. laeta nupserit. Nec ipse Deus, in quo omnium bonorum collocatum unice cognoscimus fontem, coniugium hocce, quod concordiae, fidei ac amoris quidem plenum, admodum autem breve fuit, infoecundum voluit, sed beato nostro, durante hocce matrimonio, duas suscipere, optimae indolis filias clementer concessit. Quarum, maior natu JVSTINA MARGARETHA SOPHIA, post patris dilectissimi fata superstes, virtutibus, quae virginem exornant fulgentissimis, adhuc viuit: Minor vero natu SOPHIA paruula iam fatis cessit. Tertia autem dum, coniux dilectissima, uterum gerebat, vice, partum, pro dolor! enixa haud fuit, sed ex DEI omnipotentis arbitrio, Haemorrhagia vteri correpta, multoties quidem repressa, nunquam autem debellata, admodum mature, una cum foetu naturae debitum persolvit.

Deiecta itaque beato nostro ad omnigena calamitatum genera, eas firmo tamen sustinuit animo, doloresque ita restrinxit, ut dannum, quod & ipsi, & omnibus irreparabile sane fuit visum, mente admodum quiera, resarcendum allaborauerit. Res etenim beate defuncti domesticae, quo & filiolae tenerrima aetas referenda, haud ferebant, vt in statu tali remaneret, sed, vt secunda potius meditaretur vota, seque amore foeminae, omni virtutum adparatu instru&issimae, & cum qua iam olim adfinitate iunctus erat, capi permitteret, vrsurunt.

Nuptias igitur easque secundas, d. 10. Febr. Anno 1721. celebrauit coniugiumque tranquillum & ex benedictione diuina satis foecundum obtinuit, ita vt ipsi, plura amoris pignora, exhilarata mente hocce ex matrimonio suscipere, contigerit.

Primum enim filium Deus piis parentibus concredidit, qui d. 4. Martii An. 1723 lucem aspexit & JVLII LVDOVICI nomen accepit, seque & hodie studiorum aequa ac morum elegantia omnibus reddit commendatum.

Secundus in ordine, ERNESTVS FRIDERICVS dictus, An. 1724. d. 22. Jun. natus est, & hactenus artis salutaris praeceptis, strenue satis imcubit.

Anno 1725. d. 30. Octobr. in lucem est edita, HENRIETTA CHRISTINA, coelitus iam adscripta.

Anno 1728 d. 24. Jul. JACOBVS GABRIEL, in Parentum gaudium est pronatus, mox autem praematura morte Deo redditus.

Anno autem 1732. d. 23. Nouembr. JOHANNES GOTTLIEB, felici partu est exclusus, felicibusque adhuc & mentis & corporis perfruitur augmentis.

Hunc, Anno 1737. d. 12. Decembris ultimus natu AVGVSTVS CHRISTIANVS est secutus, qui agmen insimul amabile clausit.

Felicissimus proinde ^{o μακεδόνες}, octo liberorum Parens fuit factus, qui & felici forte cursu, ad ultimum halitum usque annorum perduxisset seriem, nisi & secundae coniugis inopinatus ac plane improbus obitus, ipsum ita contriuisset, viresque senio iam maximam partem consumtas, exhausisset, vt oneri, eidem quamvis assuefactus, amplius ferendo, par esse nequiret.

Quo autem ad fatale illud proprius & accedamus tempus, quod ultimum vitae Ipsius laudatissimae posuit terminum, quodque Illum adeo

C

adeo repente extinxit ; omnium primo monendum : *Virum B.* nequitiam incerta quadam morbi causa, seu inexplorato mortis exfoisse arguento, sed suam morte mortuum dieque sua peremptum fuisse.

Soporosi etenim fuere affectus, quos debilior postmodum ipsius & Apoplexiae species exceptit, qui illum extinxerunt : quod hi autem, ex causis rursus Catarrhosis, iisque malignis secuti sint, infra pluribus docebitur.

Ea hinc absque omni ambage commemorabimus, quae nobis abs *Viro Illustr. de SCHAPER*, Med. Dr. & Sereniss. *Ducis Merseburgici*, Consiliario Aulico splendidissimo, amico nostro admodum cōlendo, vt & *Excellentiss. Experientiss. DN. DETHARDINGIO*, Med. Dr. huiusque Profess. famigeratissimo, Facult. Med. Senior. grauissimo, quos, terrore ac luctu pene consumta familia, ultimato accersit, relata sunt, & quae ipsimet ex reliquis ratiocinati sumus circumstantiis.

Iter etenim Wismariam ex offici ratione suscepit, inque illo, multa perpeccus, primordia morbi quasi posuit. Ex filio enim, iuueni optimae spei ac indolis, quiue Patri, dicto in itinere comes fuit, perceperimus, *Virum B.* adigi non potuisse, vt iter, quod ipsis maximam partem per loca admodum inuia, cum nocte calliginosa a regia via aberrassent, faciendum fuit, obseratis essedae fenestris absolueret, sed illis magis reseratis, corpus suum senio iam confectum, morbisque antehac, & infra adhuc commemorandis, admodum debilitatum, durissimis aeris, vt alia taceam, quae ipsum hocce in itinere valde molestarunt, exposuit iniuriis. Hinc, absoluto vix itinere, sensibiles artuum lassitudines, horripilationes &c. persentiebat, pluraque alia cum doloribus capitis grauatiuis, aperto, noster *senex* conquestus est, indicio, corpus ex itineris molestia praeter naturalem sibi contraxisse constitutionem, febremque instare. Manifestabant sese & antea quidem mox recensita symptomata, quam semet huic itineri accinxerat *Senex*, seque ex illo rursus reperat, sed sine omni exacerbatione & ita sane, vt febrem adesse catarrhalem, ne quidem suspicari, potuerit volueritque. Nimium enim semper constitutioni suae efficacissimae confidebat, omnia naturae beneficio reparari posse putabat. Ast, id illum proh dolor ! fefellit. Exacerbata nam sunt breui post reditum symptomata, omniaque phoenomena ita sane in speius mutata, vt de febris catarrhalis, eaque mali moris praesentia amplius haud dubitandum fuerit, & ipsem auxiliatrices sibi, vt alias solitus erat, porrigeret manus vehementiamque morbi infringere nequuerit.

Properabat itaque filius eius, iuuenis ille egregius supra que iam laudatus, ad *Virum Excellentiss. de SCHAPER*, quem obnixe rogauit, vt patri morbo graui admodumque periculoso laboranti, succurreret, quod equidem prompte satis, factum, status autem morbi, in quo *Vir ille Illustris* pie defunctum inuenit, omni miseratione fuit maior adeoque desperatus, vt in deterius vix ruere potuerit. Adsuere nimirum mentis iam perturbationes, quos soporosi, vt diximus, secuti sunt affectus, & tanta quidem cum pertinacia, vt ad clarum perceptionis statum amplius redigi haud potuerit, omniaque remedia, graui hocce in morbo, postmodum adhibita, licet exquisitissima, infausto fidere sint suscepta. Breuibus idcirco delineatam dedimus morbi historiam, eaque retuli-

retulimus; quae nobis de morbo statu, *Viri* quondam *Celeberr.* die *Valent.* autem, quae est 14. Febr. c. a. circa vesperam, praeter spem extinti innotuere. Si vero cui curatus in causas affectuum, quos Ipsum extinxisse diximus, soporiferorum, inquirere volupe est, is, ad subertos materiae excrementitiae, ad interiora, ex nimia corporis refrigeratione, recessus, tanquam ad basin & mali fomitem, respiciat, oportet.

Quantum enim damni, quantumque detrimenti nobis ex improuisa corporis refrigerie, eaque verno tempore potissimum facta, contrahere possimus, flebile nonsolum hocce & tot alia funesta exempla loquuntur, sed & propria experientia toties iam de sinistra tali refrigerationum edocemur efficacia, quoties nosmet ex aere modo calidiori in frigidorem, vel quieto in locum ventis peruium, recipimus. Corpus nam e uestigio horrificationibus febrilibusque corripi motibus, omnes omnino persentiant, idque ex aere frigido, particularum suarum rigiditate, externas inuolucri communis fibras constringente vasorumque excretiorum orificia coarctante iterum euenire, totiusque mali fundamentum consequenter in materiae evanescendae interceptione, vnicce obhaerere, certo constat. Quam proficuum enim, quamque necessarium sanitati, negotium illud, quod per colatorium vniuersale absoluuntur, habendum sit, ii potissimum haud ignorant, qui catarrhos saepius infestantur malis. Sufflaminata etenim corporis perspiratione, educenda mox recedit materia, secretoriaque organa, & intra corpus & in eius ambitu sita, duplice grauantur modo, sustinereque tenentur onus, cui ferendo, vt facili negotio prolixius commonstrarri posset, haud pares sunt; ex qua Lymphae per poros cutis transudatione intercepta, huius stagnationes atque in interioribus decubitus oriri, in aprico est. Non autem Lymphae solum, sed & humoris ipsius vitalis rubicundi simul, vnde maiores ac continui probe, partium serosarum ex hocce humore secessus & copiosiores harum, in nobilioribus, vt cerebri cortice eiusque ventriculis, collectiones, quae principium neruorum reliquamque cerebri substantiam comprimento, tot excitare solent mala, quot enumerare vix aliquis queat.

Concurrunt autem & aliae eaeque internae cause, quae haud parum ad mali exacerbationem conferre, nec infimam in vulgatissimis illic catarrhorum caufis, absoluere videntur paginam. Sanguis nam in circulo suo, vt dictum fuit, turbatus, partes salinas, alias, & integra corporis perspiratione adhuc existente, per commune colatorium exturbandas, refinere tenetur, hinc acrior fit, & corrosivam quandam salinarum particularum ex praecipitatione induit, ex qua corrupta sanguinis qualitate, lymphae etiam, (quae genuinum ac peculiare fluid menstruum est, quod salia soluit, quodque in primis ea, quae in sanguinis delitescunt massa imbibit atque resolut, vt ex odore, sapore, ac tota secretorum natura, manifesto satis videre est indicio,) praternaturalis ac nocua reduplicata constitutio, necesse est. Quod lymphae autem talis admodum corruptae recessus, ex suppressa, ipso verno, vel tempore ad vernum vergente, transpiratione suborti, magis ordinarie periculi alant, quam qui alio quodam tempore occurunt, neminem non fugit, qui id modo cognitum habet, quod corpus nostrum per hyemem, ob copiosorem alimentorum potissimum viscidorum salsorum ac diiorum assumptionem, ipsiusque coeli, vt alia taceam, ex inclemencia, ita disponatur, vt copia naturali maior, crassitiesque omnium necessarie accrescat humorum, & quamplurimi intra corpus gignantur morborum fomites, qui, quamprimum haud ita accurate abs natura vt opus, exturbari queunt,

corpus nostrum tot tantisque ex catarhorum classe prouenientibus infestare solent malis, vt vix dici possit, quantis?

Valent hinc ea, quae iam breuibus calamoque, ob varia impedimenta, admodum properanti, conscripta sunt, ingenere, de corporibus improuida refrigerie correptis, valebunt at magis de senio confectis morbisque antecedentibus iam contritis. In aetate etenim senili, ex deficiente fibrarum in solidis elatere, ac justa & laudabili humorum temperie maximam partem abolita, debilior tardiorque experientia teste, humorum omnium obseruatur circulus, & ita sane, vt humiditates, quas per diatam accipiunt senes, minus expedite separari, & motus in superfluis illis serositatisbus, iisque lente satis per se motis, ingruentibus eiusmodi morbis humor osis, naturalis conseruari haud possit; ex quo Lymphae vitio, senes regulariter, & ipso aliis aetate adhuc vegeta fruentibus, grauissimis Capitis symptomatibus iisque curata difficultimis, vt Lethargo, Caro, Paralyssi &c. eo facilius redduntur obnoxii, quo magis horum corpus, ex morborum antea per pessorum molestiis, debilitatum euasit, & quo maiorem sibi ad symptomata iam nominata dispositionem inde contraxerunt.

Talia autem & noster *Senex* expertus est fata; Ipsi etenim ante annum & quod excurrit, morbo quodam atroci, grauissimisque symptomatibus stipato ita sane conflictandum fuit, vt lecto adfixus, per plurimum hebdomadum detineretur decursus, & tametsi morbum tam mali moris tamque rebellem, remediis exquisitissimis suaque ipsius debellaret manu, vigorem attamen virium maximam partem amisit, egregiasque constitutionis sua efficacissimae ita sane deperdidit doctes, vt Ipsi, ad pristini vigoris gradum amplius, quod eius ex ore haud semel audiui, pertingere nunquam licuerit. Ansam certe grauissimo huic morbo haud insimam dedit, quod non ita pridem ante relati huius morbi primordia viduus factus, fidissimaque sua coniuge, & cum ea, illa insimul fuerit orbatus, quae vicarias obire operas hand vnuquam detrectauerat; ex qua subitanea & in opinata prorsus rerum domesticarum mutatione, meliora sequi haud potuere. Noster nam, derelictus viduus isque moestissimus, amissa sua consorte, aliam nequaquam, sed solitudines quasi turturis instar queritabat, palmaeque foemeliae exemplo, (quae mare circumdata, exhilaratam amoris pignore speciem praefere, foeturaeque habilior redi, praecisa autem mascula, intra triduum sterilescere ac plane emori, fertur, se gesit, & amissa coniuge sua, omni virtutum nitore decorata, ipsem in dies decrescere, viriumque ac vitae lubens quasi depone incepit vigorem.

Habetis itaque, Cives O. O. Honoratissimi! exitum *Viri*, dum viueret, de Republica literaria, Academia nostra Warniaca, Facultateque medica optime promeriti. Luget hinc merito literatorum hodie orbis: luget Academia nostra: luget & potissimum Medicorum Rostochiensium ordo, Collegam dum in viuis erat, coniunctissimum, nunc desideratissimum. Desiderat & studiosa iuuentus Doctorem ac Praeceptorum fidelissimum. Desiderant illum autem quam maxime, liberi derelicti iisque graui patris occubitu moestissimi.

Resarciat hinc ipse *DEx* T. O. M. iacturam, quam fecimus clementissime! excitet, ex immensa sua gratia, literato orbi literatorum faces! largiatur nouum Academiae Facultatique nostrae membrum, pie defuncto condignum, tunc & studiosae iuuentuti factum erit satis. Restat autem, vt & Familiae laeternis ac Iumentu admodum contritae resarciantur quod amisit, & patrem, liberi moestissimi, e mortuis reuocare cum nequeant, *Ipsa DEx*, qui creaturarum suarum pater est benignissimus, dupli nunc patris fungatur officio, fidelissimamque horum omnium curam suscipiat clementissime.

Nosmet autem, CIVES O. O. HONORATISSIMI! nouo eodemque tristi exemplo edocti, propriae nostrae mortalitatis immemores ne simus unquam!

P. P. SVB SIGILLO FACULTATIS MEDICÆ,
d. XVI. Martii MDCCXLII.

5 (9) 5







BVRGMANNO, coelitibus iam adscripto, & huius loci Praetico, ante hac famigeratissimo, 6 $\frac{1}{2}$. pl.
od. de Medendi ratione, per praesidia diaetetica, cum Programmate, de Scorbuto septentrionali, Resp. IACOB VALENT. MOELLERO, 6 $\frac{1}{2}$. pl.

1727. d. 19. Maii. de Fehribus Mesentericis acutis, cum Programmate, de Haemorrhagiis, mesenterii culpa ingrauescentibus, Resp. IOH. GODOFREDO SONNENKALB, 6. pl.

od. de Tumoribus Cirrhosis, cum Programmate, de Chirurgiae notitia, Medico necessaria, Resp. IOH. SAMVEL. GRARIO, 5. pl.

1735 d 19. Nouembr. de Hydrope Ascite, Resp. CAROL. THEOD. THESSENDORFFIO, 4. pl.

1735. d. 2. Iun. de Scorbuto, Maris baltici accolis non endemio, Resp. CHRIST. EHRENFRID ESCHENBACHIO, 6. pl.

1736. d. 12. Iul. de Affectibus Paralyticis, Resp. CHRIST. WOLDOMARO LOHMANNO, 10 $\frac{1}{2}$. pl.

1738. d. 7. Ianuar. de Affectibus quibusdam spasmoticis, frequentius occurribus, quam egomet ipse, splendido. Eius sub praesidio ut ultimus curia Tiaram imposuit doctoralem, examini eruditio-

ci.

CLASSIS IV.

ata continet, abs nostro, BVRCHARDO, tanquam Magnifico, conscripta.

ria:

Natalem Diem Serenissimi Principis ac Domini Dn. CARO-

OLDI, d. 26 Nouembr.

talium Festum Augustae ac Serenissime Principis ac Do-

CATHARINÆ IWANOWNÆ indixit die 9. Nouembr.

Schrift, zur öffentlichen Feyer, des Hohen Gebuhrts-

Durchlauchtigsten Fürstin und Frauen, Fr. CATHA-

ANOWNEN, Höheiten, höchstseel. Ungedenkens, d. 26.

Zogen.

ia.

5. Decembr. ad Festum Saluatoris nostri genethliacum.

. Febr. ad Passionale tempus.

25. Decembr. ad Festum natale Saluatoris nostri.

5. Decembr. In Memoriam diei natalis IEsu Christi.

Febr. ad Tempus Passionale.

Martii. in Festum Resurrectionis.

ia!

2. Febr. DN. IOHANN. ZEIDLERI, S. S. Theol. Dr.

etri aedem Pastoris longe meritissimi, 3. pl.

Decembr. MARGARETHÆ AGNESÆ de WEI-

F, Matronae prænobilissimæ admodumque vene-

pl.

B 2

1732

